



† R. P. Eduardus Gautron (1879-1950)

(Prov. Parisiensis)

Natus die 31 Iulii 1870 in Saint Sulpice le Verdon (dioec. Lucionensis in Gallia), quo in pago eius avus et pater magistri scholae partes egerunt, studia perfecit in Parvo Seminario Chavagnes-en-Paillers magno cum profectu et laude, ita ut lauream meruerit, deinde in Magno Seminario Lucionensi (1891-1894). Per tres annos (1894-1897) electus fuit ut Pro-Secretarius personalis ab Episcopo dioecesis R. D. Catteau, et antecessorem in eo munere habuit D. Mignen ac decessorem D. Poirier, quorum alter mortuus est Archiepiscopus Rhedonensis et alter Episcopus Lapurdensis.

Sacerdotio initiatus 21 Septembris 1895, in duabus paroeciis (Aizenay primum, deinde La Roche-sur-Yon), vicarius fuit, ac, zelo animarum pulsus, libenter confratrum suorum postulatis annuebat, ita ut iam in iuvenes magnum influxum exerceret.

Vitam religiosam iam a pluribus annis ingredi cupiens, redux e Terra Sancta, cum Reverendissimo Patre Matthia Raus Romae colloqui potuit, nec adiicere timuit: « Surdi filius sum, ac ne ipse brevi surdus efficiar timeo: iam enim aliquantulum surdaster sum ». « Eia, fili mi, respondit Reverendissimus Pater, si confessiones audire non poteris, saltem tibi possibile erit praedicare! ».

In novitium admissus, Antony venit die 31 Decembris 1899, ac vota sua die 2 Februarii 1901 magno cum gaudio nuncupavit Socius Patris Magistri Novitiorum per annum fuit, ac secundum novitium peregit. Mense Maii 1903 unus fuit e 10 Redemptoristis in Vice-Provinciam Pacifici Septentrionalis (postea Prov. Buga-Quito) missis, ac per sex annos apostolicum ministerium exercere potuit, quod tamen relinquere debuit: nam « surdaster » surdus fiebat. Usque ad annum 1922 in domo Buga remansit, ac postea lectoris partes egit in novo iuvenatu Sevilla per quatuor vel quinque annos. In Galliam redux die festo Sacratissimi Cordis 1922, mense Augusti eiusdem anni, Muscronium venit, ubi per 28 annos (excepto bello 1939-1945) ad mortem usque vixit. Per 25 annos (1922-1947) Archivistae ac Chronistae munus suscepit: circiter 4000 paginas de Provinciae historia scripsit, sexaginta defunctorum elogia, quorum quadraginta septem typis impressa fuerunt, alia quaedam opera iure laudata (v.c. *L'Âme du Père Passerat, La Croix sur les Andes, Où va ma vie?*); multoties et multa quoque in nostris periodicis scripsit de apostolatu nostrorum Confratrum in Pacifico Septentrionali, de pietate et paganismo. Vide elenchum saltem partialem apud DE MEULEMEESTER, *Bibliographie...*, t. II, p. 153, et t. III, p. 305.

Pietate semper conspicuus fuit et mirabili devotione erga S. Teresiam a Iesu Infante, quam strenue imitabatur, erga Beatissimam Virginem Mariam, cuius studebat fieri vere filius, ad mentem praesertim Sancti Ludovici Mariae Grignon de Montfort. Ad omnia caritatis officia semper paratissimus erat, ita ut nemini operam suam possibilem negaret. Neque unquam aliquem suspicari visus quod haud raro surdorum quidam defectus est. Propositum sibi habebat quod olim confratri cuidam dicebat: « Si quando coram me aliquem ridentem videro aut iocantem, sic semper cogitabo: aut de me non ridet, aut, si de me ridet, absque malo est ». Et ipse quidem semper caritate et hilaritate praestans fuit, ita ut saepe nugas garriret, et « garrulus » haberetur... Humilitate vero excelluit, ita ut confratres iuniores quibuscum vivebat merita eius et ingenium fere ignorent; ac saepe apud alios consilia quaerebat. Neque negandum est Patrem Gautron maximum de rebus mysticis studium habuisse: saepe S. Teresiae ac S. Ioannis a Cruce opera consulebat, tum pro suo spirituali profectu, tum pro religiosis feminis quas ad finem usque alloqui potuit. Immo, saepissime « dono lacrymarum » frui visus est. R. I. P.

G. RUSTIQUE
